

Decanus, Senior, Et Coeteri Doctores Ac Professores Collegii Medici, in antiquâ Rostochiensium Universitate, Ad Trium Medicinae Candidatorum Disputationes inaugurales, Quinto Martii, Anni Iuliani cl. Ic. XXXV. In Auditorio Maiori, Toto die, publice habendas, Omnes Academiae Cives, corumq[ue] fautores, eâ, quâ par est, observantiâ & diligentîâ, vocant & invitant

Rostochi[i]: Pedanus, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727378015>


Druck Freier  Zugang




1635



AH
27





DECANUS,
SENIOR, ET
COETERI DOCTORES
A C PROFESSORES

Collegij Medici, in anti-
quâ Rostochiensium Uni-
versitate,

Ad

Trium Medicinæ Candidatorum

Disputationes inaugurales,


Quinto Martij, Anni Julijani
cl. Ic. XXXV.

In Auditorio Majori,

Toto die, publicè habendas,

Omnes Academia Civés, eorumq;
fautores,

eâ, quâ par est, observantiâ & di-
ligentiâ, vocant & in-
virant.



ROSTOCHI,

Litteris JOACHIMI PEDANI, Acad Typ.
ANNO M. DC. XXXV.

1635.



R

Elatum ad nos ex vetustissimis Graecorum scimus, maximos honores nobilibus Athletis, qui in Ludis Olympicis, Pythijs, Isthmijs, Nemeais, Victoriâ reportassent, constrictos esse: Palmâ etenim & coronâ decorabantur, in suas civitates revertentes, quadrigis triumphalibus in vectis conspiciebantur, ac quoad viverent, vectigalibus publicis alebantur; quemadmodum rem hanc, ante biennium & quod excurrit, in hoc loco, peculiari programme ex Historiis deduximus. Non minoribus honoribus, vel potius majoribus digni fuerunt semper, eosq; reportarunt non pauci, qui bonarum artium & literarum studiis flagrantès cunctis mortalibus bene facere, & de humano genere optime mereri laborarunt, tantò nimirum Athletis anteponendi, quanto animi corporibus antecellunt: Etenim ab Athletis corpora, ab hominibus literatis animi exercentur: illi corpora saginant, isti animis pabulum suggerunt copiosum, & solam immortalitatem aucupantur. Quocirca cum multum debeamus singulis singularum rerum conditoribus, tum plurimum profecto debemus Literarum inventoribus, quibus nihil præstantius, nihil excellentius, nihil utilius ullo unquam tempore excogitatum est; siquidem Literis constat immortalitas hominum, & memoriæ fulcitur æternitas, Literæ res multis retrò seculis, à multis Nationib; gestas, nobis ostentant, Literis cognitio omnium disciplinarum percepta est, commercium Literarum tolle ex hominibus, Solem ex ipso mundo sustuleris. Hujus tam excellen-

tis

ti, tam necessarij boni, quisnam fuerit reperit, ambigitur: Alii à Mercurio Literas repertas arbitrantur: Alii à Phœnicibus inventas esse tradunt; Cujus rei argumentum est, quod literarum elementa veteres Poëta Phœnicia nuncuparint. In Græciam autem à Phœniciâ literas Cadmum detulisse ferunt, mox è Græciâ in Latium attulere Pelasgi. Sunt qui literas semper Assyrias fuisse auctumant: Ecclesiastici v. Scriptores ab Ebraeis repertas esse cõtendunt, idq; validissimo argumento probare nituntur, quod apud Ebræos singula literarum Elementa aliquid significent, quod nec de Græcis, neq; de Latinis dici potest. Credibile enim est, in isto populo, ubi veri Dei notitia viguit, omnia etiam reliquarũ disciplinarum studia in primis floruisse. Quæ verò ab Eruditis de literarum origine memorantur, horum prolixè repetere, aut quæ sententiâ verisimilior sit, hîc recensere, operis censem non necessarij, certi in eo, qui illis imbuti, quod illiteratis tantum præsent, quantum cæteris animantibus homines. Inter has autem homine libero dignas artes, non infimum locum sortita est Medicina, servandæ & restituendæ sanitatis scientia, quam tanto in honore semper fuisse dubium non est, quantum jam a condito mundo studium fuit sanitatis.

Sanitas etenim inestimabile bonum, quo amisso nihil in vitâ humanâ amplius gratum esse potest & jucundum. Quid enim homo, si perpetuis obnoxius morbis vivat? quomodo de Deo, de salute humani generis, deq; rebus aliis utilibus, cognituq; necessariis posteritas docebitur, si aut vix dum nati è vivendum cœtu mortis violentiâ eripiamur, aut per omnem vitam adversâ valetudine oppressi, nullo membro, ad laudem Dei, & utilitatem incrementumq; tum Ecclesiæ Christianæ, tum societatis humane, uti queamus? quomodo humani generis propagatio succedet, si ante justam ætatem morbis correpti extinguamur? quomodo

modo Respublicæ administrari, urbes constitui, vitæ honestas, Legum & Juris severitate vel & mitigatione contineri, imperia armis decorari, & Legibus, divinæ voluntati, humanæ gratiæ dextro judicio consentientibus, gubernari poterunt, si ante senescentium annorum tempus ex hac luce auferamur, vel per omnem vitam ægritudinibus involuti, ita premamur & affligamur, ut neq; munus publicis vacare, neq; rerum privatarum curam, in administratione rei familiaris & liberorum educatione peragere valeamus: Quorsum respexit Poeta, non ineptè scribens, non esse vivere, sed valere vitæ, quo significare sategit, vitam non esse in homine vitalem, nisi prosperâ valerudine perfruatur.

Jam olim apud Græcos, pariterq; Romanos, Legibus cautum erat, ut qui civitatis hostem occidisset, publico commendaretur elogio, certumq; reportaret præmium. Atqui capitalis & juratus non urbis, sed totius orbis hostis esse morbus, & quidem non externus, sed civilis, nec civilis modo, sed domesticus, quem cuncti, cujuscunq; sint temperamenti, ætatis, sexus aut fortunæ, duce Naturâ reformidant, neq; datur immanius & horrendum magis monstrum, non tyrannus crudelior, nullus humanæ vitæ vehementior adversarius. Adversus hunc hostem, perinde atq; miles pugnare cogitur Medicus. Sicut verò in bono & industrio milite, singularis rei bellicæ peritia requiritur, ut non indefinitè hostem suum aggrediatur, sed norit omnes rationes & modos, quibus vincere ipsi quam commodissimè possit; ita profectò singularis quedam scientia ad Medicum pertinet, siquidem boni Medici officio fungi, & naturam velut imperatorem suum, in naturali illâ pugna dextrè juvare velit. Quisquis ergo veluti novus Hercules, tale & tantum monstri genus arte vincere, & ab eo humanam naturam vindicare cordato animo recipit, certè verus à lætægens, & tanquam tutelare Numen censebitur. Hoc autem præstat medicus


dicus idocorum negotia egrorum, morborum, & remediorum probe
sciens, & juxta illas Methodicam curam prudenter instituens:
Methodicam dico, quæ cognitis morborum naturis, inventisq; eor-
um per Analysin causas, loco affecto certis signis explorato, reli-
quis etiam indicationum scopis probe perspectis, salutaria quæq;
pharmaca & auxilia, ad omnes præter naturam affectus, & adductum
extirpandos, præscribere & adhibere monstrat. Atq; hæc præclara
medendi scientia, non modò morbo, ac causæ morbi contraria, Nature
autem, consuetudini, ætati & viribus ægri consentientia offert,
verum etiam totam dietam, in sex rerum non naturalium exhibi-
tione, ita disponit, ut Nature robur conservet, illamq; adversus
morbum & morbi internam causam pugnantem, tum excitet,
tum in conflictu juvet. Natura enim morborum Medica, cujus
facultatibus omnibus & singulis confirmatis, & corroboratis illa
vires pristinas recipit, & fortiter hosti suo resistit, eumq; a finibus
suis arcere & depellere annititur, non aliter, ac præliantes, ubi a-
limentorum exhibitione recreati fuerint, alacrius cum hoste di-
micare, & sæpè victoriam ab illo reportare conspiciamus. Adhi-
bet præterea Medicus talia remedia, quibus Nature intentio ab-
solvi, morbus profligari, causaq; morbi essentialis extra corpus
commode eliminari, & expedite pelli, demumq; æger in integrum,
sanitatisq; statum restitui valeat. Quem scopum, si neq; laudabi-
li dietâ, neq; pharmacis convenientibus, sese obtenturum videt, ad
chirurgicas operas necessario confugit, & ægro hominis corpori,
ferro vel igne, frictionibus deniq; & ligaturis, aliisq; medijs, rectâ
cum ratione auxilio esse conatur, ut quæ præter naturam ex abun-
dantiâ materiæ bonæ vel malæ, aut formatricis facultatis erro-
re, reliquis corporis humani membris adnata sunt, vel post e-
ditum in lucem factum, in illo creverunt, vel & quæ secundum na-
turam quidem sunt, at tamen ex quâcunq; causâ, putredine, ac cor-


ruptione ita destruuntur, & leduntur, ut non tantum inuribilia
audiant membra, & vicinis partibus malum communicent, verū
etiam incolumitati totius noceant, ac tandem vitæ discrimen in-
ferant, decenter corrigantur, vel tollantur. Quo in casu etiam,
Poëtâ monente, immedicabile membrum ense recidendum est, ne
pars sincera trahatur: quin & non raro internis morbis, quibus
pharmaca aut non conveniunt, aut nimis tarde succurrere pos-
sunt, scalpro venam aperientes, vel membra carnosâ scarificantes,
oportuna sanguinis missione occurrimus, ut Naturæ periclitanti
subveniamus, ne longioris moræ interventu succumbat. Et hæc
medendi viæ necessarii tenenda sunt illi, qui feliciter cum suo æ-
grorumq; commodo medicinam facere cogitat. Neq; tamē ul-
lam harum viarum ingredietur, priusquam accurate & recte in-
ternam & materialem morbi causam cognoverit; aliâ enim, sicuti
se exercens pugil, aërem feriet, & non modò nihil efficiet, sed &
facile causam morbi conjunctam augebit, morbi malignitatem,
vehementiamq; intendet, & virium robur, quod conservari oportet,
omniñò dissolvat; unde & difficilis cura emerget, mortisq; pe-
riculum ægro inferetur. Nullo siquidem modo contingere potest,
ut medicus idonea morbo remedia inveniat, convenientem victus
rationem instituat, vel quippiam recte, juxta artis methodum
moliatur, qui causam morbi internam, & vel in parte affectâ jam
delitescentem, vel in motu affluxuq; constitutam, ignorat, imò
quosquor methodo hæc neglectâ, solis medicamentorum formulis
scatentes, medici titulo passim luxuriant, & insolescunt, num-
quam securi, sed perpetuò dubij & incerti Artem exercebunt: Imò
quantum detrimenti rebus adferant humanis, qui tales Thra-
sones & Thessalos fovent, & in precio habent, facile prudentes
perspiciunt: Ac mirandum etiam Primates quosdam illis vitam
suam temerè credere, quibus aliquis cautior ne quidem pecuniam
crederet.


credere. Sapienter enim Herophilus morborum remedia, si ab
indoctis Medicis exhibeantur, venena, imò gladium in manu fu-
rentis: à doctis autem & exercitatis usurpata τὸν θεὸν ἔχειας,
auxiliares Deorum manus appellabat. Contra verò nunquam &
nullà expallescit culpà, qui theoreticæ artis saluberrimis instructus
principiis & præceptis, accuratà diligentia, rectâq; ratione in inve-
stigatione causarum materialium, à quibus morbi essentia, Sym-
ptomatumq; insultus dependent, progreditur, ægrorumq; curam
suscipit. Serviunt huic rei, & quasi manu nos eò deducunt, certa
& ferè nunquam fallentia signa τὰ ἰσχυρὰ μὲν ἢ τὰ ἀσθενῆ, seu Διὰ νόσους
quæ si quispiam medicorum negligere velit, nihil aliud agere vide-
bitur, quàm viator, qui in ignotâ regione iter factururus, statuas
mercuriales respuit, ac suo arbitratu incertis vagatur semitis.
Sicut enim hic nunquam, aut certè serius, cæcâ fortunâ casusq; ad-
juvante, propositam itineris sui metam attingit, ita indoctus me-
dicus, vel temerarius, qui nescit signa, quibus in morbi causâq; in-
ternæ cognitionem deducatur, in ipso meridie, tam densam nebula-
rum caliginem, oculis tum corporis tum mentis objectam, patie-
tur, ut quid agat ignoret, nec quid consilij ægro dandum intelli-
gat, sed cæcis & incertis opinionibus ductus, temerario impetu,
modo hoc, modo illud aggredietur, & rarò aut difficulter suarum
curationum felices fortietur eventus, nisi fortassis fortuitus ali-
quis casus morbos benigniores profligat. Quæ verò certâ & rectâ
rationi congruâ methodo per indicationes curativas fiunt, melius
dirigi, dexterius disponi, citius perfici, maturius corrigi, & ad
oprativissimum finem deduci solent. Ita autem univèrsam curandi
ordinem regent indicationes, ut nulla intentionum curativarum
ad ullius morbi sanationem admittatur, nisi vel omnes, vel aliqua
indicationes illam necessariò assumendam demonstrarint, quâ de
re in methodo medendi suo tempore & loco uberius pertractabim⁹.

H¹⁶

Hujus porro saluberrimæ artis medicæ strenui cultores, aliquot annorum decursu, in diversis Academiis fuerunt, eamq; rectissimè didicerunt, ac deinceps, Deo benedicente, magno cum mortaliū emolumento ac salute ad usum transferre, & in ipsâ praxi, morborumq; ceu gravissimorum Naturæ hostium, depulsione, usurpare poterunt præsentēs TRES Medicinæ Candidati, qui licet jam antè privato & satis accurato examine, suam eruditionem nostro Collegio cumulatissimè probarint, eos tamen denuò, veteris & ab Antecessoribus ad nos translata consuetudinis memores, in publico etiam Auditorij Majoris loco, ad diem V. Martij, toti Universitati, ab aurorâ in vespèram, examinandos solemniter sistimus, singulorumq; theses ad disputandum conscriptas exhibemus, de quibus placida, sine rixis aut contentione, instituetur collatio, ne quod Eusebio auctori tribuitur, de nobis dicatur, multos brutorum animantium more in disputando pugnare pro victoriâ, non veritate. Rogamus itaq; Magnificum Dn. Rectorem, Reverendos item, consultissimos & clarissimos Dnn. Professores, Doctores, Magistros, verbi divini ministros, Scholæ trivialis collegas, & omnium ordinum viros doctos, totamq; adeo optimarum Artium & Partium Studiosorum cohortem, ut loco & die Disputationi præscripto, horis ante & post meridiem, non tantum auditum & spectaculum frequentiores conveniant, sed & pro suâ quisque ratione, Dnn. CANDIDATORUM vires, amicè & benevolè experiantur, nosq; & universum Auditorium erudire ne graventur. Id nobis erit gratissimum, & Collegio Medico honorificum, operamq; dabimus sedulo, ut vicissim omnibus & singulis, in simili vel & aliâre gratâ, officia nostra semper constent promptissima. Deus optimus maximus nobis clementer suo sancto adsit Spiritu, ut ad ipsum verâ poenitentiam conversi, nunc & semper, Ecclesiæ salutaria, Reipublicæ, & omnibus medicam opem flagitantibus, utilia dicamus & faciamus. Publicè proponebat. sub Decanatus Medici Sigillo a. d. Februarij 24. anni Juliani 1635,









Decorative initial letters and flourishes at the top of the page.

A NnVa zoDlaCI fInItVr Linea, traCtV
prIstIna SoL CresCens signa fVa Intrat, Io!
Altius ascendit gelida dum Phœbus ab Arcto
Vernalesq; facit longius ire dies,
En HELINGE, novo, tibi jam Christo auspice in an-
altius offertur nomen, honosq; simul. (no
Jam tibi Rostochiæ Charites hic nomina magni
Doctoris tradent parta labore gravi:
Grator ego: tibi non grator; sed grator honori
te nacto, tantâ dexteritate virum.
Accino plaudenti tibi pectore & apprecor ultro,
cum tuus immensum crevit in augmen honos.
Det Deus hic titulus felicem præbeat usum,
Usum det patriæ, profit & ipse tibi.

Ita ἐκ τῆς καρδίας
συχχαρισσώνης
ἐνεκέν ἐγχεδία σου το
Excellentia tue
Observantissimus

M. Augustinus Mauritij.

B 3 Quæ

